LIBER FUNDATORUM ZWETLENSIS ('BÄRENHAUT')

um 1310/1314 Seite 27v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35889
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

De chunrigariis qui dicti sunt Canes.

Que autem predicti Chunringarii Hainricus
et Hadmarus cognomento canes egerint
temporibus domini Hainrici abbatis Zwetlensis dic-
ti de Freising in quodam privilegio invenitur, vel
que a monasterio per varias mutaciones aut
concessiones extorserint. In eodem privilegio quod
Hainricus canis et marschalcus summus aut
primus in Austria dedit vel quoniam in cambio vii
talentorum redditum in Loden idem monasterium
offenderit non tacetur. Quod privilegium quia so-
lum de eis in monasterio inventum est et non plura
ab ipsis data, propter aliorum fundatorum ferocita-
tem sedandam in hoc opusculo subiungemus.
Initium autem et tenor eius sunt hec. Privilegium
chunrigariorum Hainrici et Hadmari ca-
num super quibusdam debitis Zwetlensis monasterii.

Quia mutabilitas nature et successiva
mortalium alteracio et brevitas vite dil-
letare gignit oblivionis morbum multis in-
ducit, ea que recordatione digna videntur scrip-
torum annotatione et sigillorum appensione so-
lent immo debent ad cautelam perennari. Unde
notum sit presentibus et futuris presentia scripta
inspicientibus vel inspecturis, quod ego Hainri-
cus de Chunringe primus vel summus mar-
schalcus Austrie vii talenta iniustis red-
ditibus de empto patrimonio meo et puerorum fra-
tris mei contuli claustro in Zwetel in commuta-
tionem vii talentorum in Loden, que Hainri-
cus de Frisinga dicti claustri tunc abbas
comparaverat a quodam Heinrico de Stainbach
pro nonaginta quatuor talentis, et tali conditione,
ut si ego vel heredes mei vel pueri fratris
mei contulerimus dicto monasterio vii talenta
de iustis redditibus in uno loco, ante dicti redi-
tus michi vel heredibus meis vel fratruelibus
meis sint soluti. Acta sunt hec anno ab In-
carnatione domini Millesimo Ducentesimo xxx-
secundo. Huius rei testes sunt: Aldo et Hadmarus
fratres de Valchenberch, Hugo de Rasten-
berch et duo filii sui Albero et Otto, Karo-
lus de Gotrath, Ulricus mazolter, Dit-
marus de Chunring et filius suus Chun-
radus, Ortolfus de Weidehoven et frater suus
Aibtus, Hadmarus de Frevndesperch,
Chunradus de Valchenberch, Chunradus
de Saze. Iste sciant omnes et modernis
et futuris sit manifestum, quod ego Hainricus
et fratrueles mei tenemur monasterio in Zwe-
tel in centum talentis et decem carratis vini
et octoaginta modiis frumenti Zwetlensis
mensure, que si me vivente qd' d's avertat
non fuerint persoluta, heredes mei vel succes-
sores bonorum meorum et fratrueles hec omnia
in integrum persolvere tenentur, et ita fideliter
si ad eos devenerit et plenarie restituant,
ut dei omnipotentis et gloriose matris sue, cui
monasterium in Zwetel specialiter attinet, per-
petuam non incurrant maledictionem.

Quoniam autem hec Notula de eisdem debitis
soluta sint que in hoc privilegio continentur
ignoramus, sed et alios promotores domus nostre
describendos adiuvante domino properamus. Aliquantum
de solutione horum debitorum inseremus, cum ad pri-
vilegia domine Eufemie de Potendorf eiusdem
Hainrici canis filie venimus deo dante. Pro-
motorum autem nostrorum ex instinctu spiritus sancti precipu-
us tunc temporis legitur extitisse Fridericus pri-
mus dux Austrie, qui pietatem patris sui,
videlicet Ducis Leupoldi, in hoc est imitatus
et religiosos cum devotione qua potuit fideliter
prosecutus. Unde et monasterio nostro tale privilegium
legitur tradidisse. Privilegium Friderici ducis
Austrie super quibusdam possessionibus huius claustri.

In nomine sancte et individue Trinitatis.
Dei gratia Fridericus Dux Austrie et Styrie et
Dominus Carniole universis Christi fidelibus Sa-
lutem in perpetuum. Quia internum atque [illegible] ma-
nsuetorum tranquillitas in defensorum maxime con-
sistit providentia. Quia et vite claustralis
conditio que secularium conditioni contraria est et a ne-
gotiis secularibus seq[ue]strata, secularium vexa-
tionum turbatione penitus deperiret, nisi ac-
curata principum sollicitudine conservaretur, pro-
ponimus igitur divine retributionis pietatem paren-
tum ac predecessorum nostrorum in hoc imitantes, Re-
ligiosos ac professionis monastice viros sub
nostre iurisditionis potestate collocatos diligen-
ti fovere benivolentia. Claustrum igitur in Zwetel